

DE EXISTENTIA ESSENTIAE DIVINAE SIVE PRIMAE
CAUSAE RESPECTU CONCEPTU AETERNITATIS
SECUNDUM RAIMUNDUM LULLUM.

Commentarium

in quosdam textus ex Lulli prima distinctione *Libri principiorum theologiae* atque ex *Libri principiorum philosophiae* distinctione item prima haustos

Sactum Thomam Aquinatem de quaestione, an Deus sit, in diversis operibus suis tractavisse constat. Textum classicum autem a posterioribus iterum atque iterum commentatum in articulo tertio partis primae *Summae theologiae* invenimus, scilicet illam doctrinam celeberrimam de quinque viis probativis, quas Doctor Communis in plenitudine maturitatis suae redactavit. Tamen si quis nostrum hodie illam expositionem prima vice vidit, mirari deberet de textus brevitate circa quaestionem tam gravem et fundamentalem atque respectu stricte et formaliter rationali haud facilem, immo valde difficilem. Susplicere posset Auctori has comprobationes de facto minus ursisse, et forte in hoc non erraret; quoniam populi culturae mediterraneae, in qua ipse Thomas natus necnon immersus erat, i.e. christiani et judaei et mohammetani communiter in Deum Creatorem unum crediderunt. Insuper omnis Doctor Ecclesiae versum illum psalmi (13,1) cordetenuis sciebat, qui sonat: "Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus", qui adhuc pro quolibet credente in autorevelationem Dei vigorem tenet. Et magni Doctores Medii Aevi ante omnia theologi fuerunt.

Hoc non obstante, quaestio de Dei existentia post Thomam maiore pondere mensurata est a magistris. Johannis Petri Olivi expositio circa recognitionem hominis naturalem existentiae Dei in quaestione tertia *Tractatus De Deo cognoscendo*¹ tam propter extensionem quam propter acumen ingenii maiore attentione nostra digna iam est. Quid vero dicam de argumento Johannis Duns Scoti, quam in primo Libro *Ordinationis*² in extenso proposuit? Nonne una ex melioribus argumentationibus totius Medii Aevi circa quaestionem prolatam iure nominatur?

Sed heic quaerere volumus de loco, quem Raimundus Lullus respectu quaestionis disputatae occupat. Etiam Doctor Eremiticus, quo titulo vetustiore Raimundum honorare nobis placet, in operibus pluribus sicut Sanctus Thomas quaestionem de existentia Dei movit. Eusebius Colomer SJ. "De ascensu ad Deum in cogitatione Raimundi Lulli" decem annos ante summatim sciteque iam scripsit.³ Sed hoc in commento solum ad paucos textus Raimundi me

refero eosque aliquantulum explanare et explicare intendo. De locis agitur ex operibus prioribus Doctoris Eremitici adductis, quae immediate postquam *Artem* generalem prima vice conceperat eamque in *Arte compendiosa inveniendi veritatem* seu in *Arte Maiore* redactaverat, circa annum 1274 confecit; i.e. considerare volumus quosdam locos ex *Libro principiorum theologiae* necnon alios ex *Libro principiorum philosophiae* sumptos. In utroque opere distinctio prima probationis existentiae Dei, scilicet divinae Essentiae secundum primum librum vel Causae primae secundum alterum librum dedicatur. Ordinem solummodo mutare malo et primum ad rationes respicio, quas Lullus in favorem existentiae Primae Causae respectu conceptus aeternitatis in *Libro principiorum philosophiae* adducit. Ceterum propter citationes mutuas in utrumque librum insertas prioritas chronologica unius vel alterius operis non constat⁴

I. De probatione existentiae Dei respectu aeternitatis secundum *Librum principiorum philosophiae*.

Praetermitto analysim *Libri principiorum philosophiae* in eius integralitate. Solummodo quaestiones libri commemoro circa sedecim principia specialiter philosophica versari. Primum horum ipsa Causa prima est, cetera omnia sunt eius effectus. Littera combinatoria pro Causa prima est B, cum cetera principia quindecim litteras C-R occupent. In prima distinctione de probatione ipsius B, i.e. Causae primae, agitur atque de conditionibus toy B in essentia propria, in relatione ad essentiam creaturarum, quatenus B est earum perfectio et finis, atque demum in relatione operationis toy B ad extra.

Consideremus primam partem tantum distinctionis. Suppono lectorem sufficienter cognoscere doctrinam lullianam de dignitatibus, quae sunt respectu deitatis attributa divina, quae respectu omnium entium vero, si licet modo scholastico loqui, sunt transcendentalia communissima objective cum quolibet ente data. Haec transcendentalia in abstracto univoce, in concreto nonnisi analogice praedicantur. Una ex illis dignitatibus (vel unum ex his vocabulis fundamentalibus) est respectu ipsius Causae primae (B) "aeternitas", quae autem a Raimundo ut duratio aeterna concipitur, nam in redactionibus ulterioribus Artis suae pro aeternitate ponit "duratio" simpliciter, distinguens inter "durationem" aeternam et alteram durationem mensurabilem, sive quod haec sit sempiterna sive quod sit temporalis tantum. Dimittimus quaestionem valde discutibilem, utrum liceat de "duratione" aeterna in Deo loqui necne, sufficit scire, quod Lullus in initio *Artis maioris* terminum "duratio" non posuit, sed tantum hunc terminum "aeternitas", se referens primo loco ad Deum solum; quoniam prima propositio *Artis maioris* sonat: "A ponimus, quod sit noster Dominus Deus; cui A attribuimus sedecim virtutes"⁶, quas postea dignitates nuncupavit. "Dignitas" est terminus latinus qui exacte graeco "axioma" correspondit. Nihilominus etiam heic in initio expectandum est Raimundum illam distinctionem expressam inter aeternitatem divinam, quandem aeviternam et temporalitatem latenter iam supponere. - In parte priore huius primae distinctionis *Libri principiorum philosophiae* Raimundus decem rationes in favorem existentiae primae Causae affert. Nos restringimus nostrum commentarium ad illas rationes, in quibus aeternitas ut medium argumenti apparet, scilicet ad primam, secundam et decimam.

Prima Ratio.

Textus Lulli sonat sic: "Absentia pluralitatis linearum anguli in trianguli minime convenirent, et absque dignitatibus ens et aeternitas nequaquam simul convenire possent: sed constat, quod aeternitas est, quia, si non esset, ens, antequam foret, haberet dignitatem, qua esset, quod est inconveniens. Si igitur aeternitas est, oportet aeternitatem et ens concordantiam simul per dignitates habere, absque quibus ita parum convenirent simul, veluti anguli et triangulus absentia linearum. Cum autem ens, aeternitas et dignitates sint, necessarium est, quod insimul sint concordantes in esse una essentia aeterna, quae digna sit prius existere omnibus, in quibus est defectus dignitatum; si enim non ita foret, sequeretur, quod ens et aeternitas possent absque dignitatibus ad invicem convenire, et etiam anguli et triangulus absentia linearum; et praeterea sequeretur, quod privatione dignitatum ens et aeternitas tam bene insimul convenire valeret, velut perfectione dignitatum; hoc autem est inconveniens, quo demonstratur, Primam Causam existere".⁷

Negari nequit, quod modus probandi, si eum cum modo probandi ceterorum auctorum. Medii Aevi comparamus, est valde rarus tam propter illam similitudinem defensam inter triangulum mathematicum et ideam Causae primae existentis in sua aeternitate cum ceteris dignitatibus, quam propter conceptum aeternitatis ipsum in argumento adhibitum. Dicit Doctor Eremiticus relationem enim inter pluralitatem linearum ex una parte et convenientiam angulorum et trianguli ex altera parte comparabilem esse relationi inter pluralitatem dignitatum ex una parte et convenientiam inter ens et aeternitatem ex altera parte. Sine dubio comparatio claudicat sub diversis adspectibus, sed ante omnia in eo, quod termino trianguli quodcumque triangulum possibile, termino autem entis aeterni unum solum ens concipitur. Tamen lector recordetur saltem, triangulum figuram esse primam et fundamentalem pro omnibus, quae ex lineis rectis constituuntur. - Sed ipsam cogitationem Raimundi nobis heic sequendum est.

Cum ergo prima relatio quoad triangulum absolute necessaria sit, tum, similitudine supposita, sequi videtur, quod altera relatio quoque necessaria est. Videamus! In triangulo sunt necessario plures lineae. Cum in tribus punctis distinctis se intersecant, formant angulos trianguli. Hi anguli in triangulo sunt tres et semper sic conveniunt, ut triangulum constituent. Similiter secundum opinionem Raimundi sunt necessario plures adspectus transcendentales, quae affirmatione analysis ontologica entis supponitur; et cum hi adspectus in ente semper inveniantur, tum ens cum aeternitate quoque quodammodo convenire debet (!), Utique, nom omne ens neque quodlibet ens nostrae experientiae immediate datum, sed quoddam ens secundum Raimundum cum aeternitate convenire oportet. Quaerendum heic esset, an fundamentum speculativum huius affirmationis cum illa sententia concordet, secundum quam ens vi suae significationis communiter in linguis indo-europaeis acceptae simpliciter est; aliis verbis, quaeri heic possit, nonne assertio lulliana praesupponat, quod subiectum "ens" necessario praedicatum toy esse ex se dimittat, quoniam ens actu, ideo aliquod quid (!) existens (!) ut tale in sensu naturali et primordiali

simpliciter est et sic conceptum respectum per prius et posterius in se et per se non includit, ita ut idea aeternitatis cum hoc conceptu entis simpliciter iam connotari videatur.

Sed attendamus fidelius ad textum Raimundi! Si aeternitas non daretur, ens, cum non sit aeternum, incipere debuit. Et priusquam foret, haberet dignitatem, qua esset; sed hoc non convenit. Secundum me, textus lullianus intelligi nequit, nisi quod recognoscamus brevissimam reiectionem regressus in infinitum in eo praesupponi. Nam si non datur aeternitas, omne ens a potentia vel a potestate alterius dependeret. Potestas est dignitas quoque entis quaedam. Ergo "primum" ens, quod vero aeternum non esset, factum esset a quadam potestate, quin haec potestas to esse haberet et hoc est contradictorium; nam dignitates "sequuntur" ens, non autem praecedunt modo absoluto ididem. Ergo quaedam aeternitas haberi debet et esse sensu existentiae. Si autem datur (dicere malim: si conceptibilis est) aeternitas, tum vi aliquarum dignitatum cum quodam ente eam concordate oportet. Sine ceteris dignitatibus, praesertim sine praedicta potestate - et adde huic bonitatem, quatenus est diffusivum sui, magnitudinem in scalis perfectionum, sapientiam etc. - aeternitas non daretur (i.e. ea concepi nequit), quia dignitates se poscunt mutue sicut (vult dicere secundum Raimundum: simili necessitate) pluralitas quoque linearum et angulorum in triangulo se poscunt mutue. Cum vero "dentur" et ens et aeternitas et ceterae dignitates, consequitur, quod haec omnia sic ad invicem concordantia etiam in esse reali unam essentiam aeternam constituent, quae ut dignior prior sit existendo quam omnes sic dictae essentiae reales, in quibus dignitates nonnisi diminutae vel deficientes, ergo non aeternae apparent. Videtur enim, quod "defectus dignitatum" imprimis revelatur in distinctione inter aeternitatem incommensurabilem et durationem, quae non est vere aeterna vel, ut infra melius videbimus in parte secunda huius commentarii, quae est duratio numero mensurabilis, ergo finitudine quadam semper facta.

Si ita res non se haberet, et cum aliquid vere aeternum per refutationem regressus in infinitum poscatur, sequeretur, quod ens et aeternitas possent convenire absque ceteris dignitatibus, praesertim, addere velim, absque potestate aeternitati correspondenti, scilicet sine potestate infinita, similiter ac si anguli et triangulus convenire possent absque linearum pluralitate. Sed patet (!) hoc esse impossibile. Hic terminus "patet" primum ad quaestionem circa triangulum referri debet, sed vi similitudinis a Raimundo propositae manifestatur quoque, ut Raimundus putat, in quaestione circa convenientiam inter ens, aeternitatem ceterasque dignitates. Lector vix cum Doctore Eremitico heic concordabit. Videtur quaedam praesupposita a Lullo silentio teguntur, quae postea nos adhuc occupabunt. Ad momentum ad textum Raimundi revertamur!

Ceterum sequeretur secundum Doctorem Eremiticum, quod ens et aeternitas convenire possent tam privatione quam perfectione dignitatum, i.e. tam sine dignitatibus ceteris quam cum istis. Talis indifferentia autem entis et aeternitatis erga ceteras dignitates est absolute impossibilis, nam ubicumque datur ens reale, dantur quoque ceteri adpectus transcendentales ut to bonum,

magnum, potens, verum etc. Et cum regressus in infinitum quoad ens temporale sit impossibilis, cum ideo aliquod ens postulari debeat, quod simpliciter est et per consequens aeternae "perdurat" simpliciter, quin sit factum vel cessare possit in esse, postulatur quoque perfectissima potestas, bonitas, magnitudo, sapientia, voluntas, virtus essentialis, veritas, gloria seu perfectio simpliciter. Haec omnia autem, cum priora sint omnibus entibus, quorum dignitates apparent manifeste deficientes, istorum primam Causam indicant. Quo demonstratur Primam Causam existere.

Mihi conscius sum me textui Raimundi quaedam fulcimenta adiunxisse, quae expressis verbis non constant, quae autem necessaria esse videntur, ut textus non solum qua talis intelligatur, sed fiat omnino vere significativus.

Secunda Ratio.

"Aeternitas in maiori concordantia se habet cum infinita magnitudine quam cum finita et terminata magnitudine; cuius si esset oppositum, sequeretur, quod aeternitas et finitum ac minoritas essent simul concordantes, et principium et infinitum ac maioritas similiter; hoc autem est inconveniens: quo demonstratur, quod, in quantum aeternitas maiorem concordantiam habet cum infinito quam cum finito, necessarium est infinitum prius esse in aeternitate quam finitum, quod infinitum primum aeternum est B [vel Prima Causa]" 8

Sicut inter durationem stricte aeternam, i.e. incommensurabilem et alteram mensurabilem distinximus, sive quod ista sit quaedam aeternitas fiens sive quod sit temporaliter finita, ita nunc nobis distinguendum est inter magnitudinem finitam et infinitam. Videtur quod hoc novum argumentum in maiori proximitate se habet ad viam anselmianam. Et ilico quaerimus quoque, quo in sensu terminus "magnitudo infinita" sumendus sit, utrum in sensu indefinitatis, quae in scientiis mathematicis datur ita ut semper quid maius excogitari possit necne. Sed si via anselmiana salvanda est, respondere debemus: non in sensu talis indefinitatis alicuius magnitudinis essentialiter semper adhuc finitae, sed in sensu "categoriae" omnino diversae et incomparabilis cum magnitudinibus finitis sicut neque aeternitas absoluta cuidam durationi mensurabili vere comparabilis est, quapropter terminus lullianus "duratio aeterna" non sine difficultate accipi potest. Magnitudo infinita in ordine perfectionis et sublimitatis sumenda est ita ut independentia sua absoluta ab omnibus perfectionibus finitis radicaliter separetur. Patet vero quod aeternitas in maiori concordantia stat cum tali magnitudine infinita quam cum finita, quia iam ex prima ratione concludi potest, quod ens tam essentialiter quam "durative" finitum dependet semper ab alio et supponit quoddam ens simpliciter aeternum, nam qui dicit ens duratione mensurabile dicit ens essentialiter diminutum, i.e. finitum, quod ceterum ens authenticum nominari nequit, quoniam sicut supra ostensum est, verum ens simpliciter est et a se non potest non esse.

Si res ita non se haberet, sequeretur primum, quod aeternum et finitum (ideoque hoc ipsum tamquam quid minus sumptum) concordarent, deinde quod ex altera parte principium, i.e. ens quod initium cepit et effective est "ens" minus, immo inadaequate dictum, cum infinito et cum maioriata conveniret. Utrumque autem est impossibile propter rationes expositas.

Nunc vero, si constat aeternitatem cum infinito magis concordare quam cum finito in una eademque essentia, tum necesse est, quod infinitum prius esse in aeternitate quam to finitum atque tum patet, quod infinitum primum aeternum est ipsa Prima Causa omnium entium finitorum.

Decima Ratio.

“Si in aeternitate est opus aeternum et incorruptibile, aeternitas et opus habent inde maiorem concordantiam cum maiortate; si vero in aeternitate non est nisi opus corruptibile, aeternitas quidem et ipsum opus cum maiortate minorem concordantiam habent: cum autem maiortas et aeternitas simul conveniunt, et minoritas et corruptio similiter; idcirco oportet necessario in aeternitate esse opus incorruptibile, quod praecedat opus corruptibile; quod quidem opus incorruptibile est B. ...”⁹.

Suppositio prima, secundum quam in ente aeterno quoddam opus esse dicitur, concordat cum conceptu platonico-lulliano bonitatis. Ens et bonum convertuntur, nam ubi est ens, datur quoque bonum. Quo in sensu? In sensu diffusionis sui. Hoc sibi vult: nullum ens otiosum est ideo ut de quolibet ente valeat hoc axioma: ens non potest non agere opus quoddam, nam est necessario diffusivum sui, ergo bonum, quo quaedam communicatio quoque possibilis fit. - Nunc vero supposito quod in aeternitate est opus aeternum atque proinde incorruptibile, tum aeternitas et tale opus aeternum maximam concordantiam habent cum principio relativo maiortatis. - Supposito autem, quod in aeternitate sit solum opus corruptibile, tum aeternitas et hoc opus corruptibile minorem concordantiam haberent cum maiortate.

Ad quid refertur haec maiortas? In secunda ratione de prioritare Primae Causae iam dictum est. Prioritas maiortatem condit. Sic aeternitas maior est quam duratio mensurabilis vel temporalitas, et infinitas maior est quam finitudo. Maiortas igitur, ad quam textus lullianus respicit, dicit maiortatem Primae Causae in comparatione ad creaturas. Tamen haec comparatio est inadaequata, quia de “comparatione” inter incommensurabile et mensurabile agitur.

Opus corruptibile quoad opus operatum est mundus. Si Prima Causa nonnisi tale opus corruptibile operata esset, tum maiortas Primae Causae super creaturas minor esset ac si Prima Causa opus aeternum et incorruptibile operaretur. Corroboratur argumentum modo positivo istis verbis textus Raimundi: “Cum autem maiortas et aeternitas simul conveniant et minoritas et corruptio similiter, idcirco oportet necessario in aeternitate esse opus incorruptibile, quod praecedat opus corruptibile; quod quidem opus incorruptibile est B, quod ostendimus et probavimus per decem rationes, per quas demonstratum et significatum est, quod ipsum B est primum mundo per aeternitatem et creationem ac per praedictas dignitates”.¹⁰

Non dicitur, in quo praecise consistit opus incorruptibile, “quod quidem est B”. Talis explicatio pertineret, ut puto, ad sacram theologiam, sed philosophus statuere potest, quod Deus non est aliquid staticum ens, immo summe dynamicum. Hic dynamismus vero non in sensu incessantium mutationum intelligi vult, sed in oppositione ad otium essentialia, quamvis intellectus humanus sibi excogitare nequeat, cuius modi sit dynamismus divinus ad intra.

Solum theologia fundata in autorevelatione Dei circa mysterium sanctissimae Trinitatis aliquantulum nos praesentire facit, quomodo Deus sit vita plena et communicatissima in summo gradu.

Considerationes additionales.

Vocabulum "prima Causa" hodie generaliter non placet. Est quaestio terminologiae tantum, quia nemo auctorum mediaevalium Deum ut primum Auctorem omnium cum causalitate physicali huius mundi sensu scientiae naturalis accepta comparare intendit. Hoc concesso opinor probationem Causae primae respectu aeternitatis - non obstante textu propter varias lacunas explicativas defectuoso - non esse indignam nostra attentione. Raimundus non incipit sicut Anselmus cum oppositione inter finitum et infinitum, sed cum latenti oppositione inter durationem mensurabilem et quoddam aeternum incommensurabile. Utique neque absolute infinitum neque absolute aeternum in eius essentia authentica ab intellectu nostro excogitari possunt; tamen illi vectores in conceptibus temporis et finitudinis detegi atque notari possunt, qui nos impellunt ad acceptationem aeternitatis et infinitatis, quarum vera essentia mentem nostram transcendit.

Concedendum est, quod Raimundus comparat conceptus inter se, ut videat eorum compossibilitatem aut incompossibilitatem. Pro compossibilitate dicit 'convenientia' vel 'concordantia', pro incompossibilitate dicit 'inconvenientia'. Tamen non agitur in sua argumentatione de transitione prohibita ab ordine mere conceptuali ad ordinem realem, cuius saltus via anselmiana generaliter sed iniuste quoque accusatur. In utroque auctore fundamentum argumentationis est ordo realis. Quoad Anselmum hoc patet tam ex proemio opusculi *Proslogion* quam ex particula relativa comparationis "quo" in expressione: "quo maius cogitari nequit".¹¹

Fundamentum comparationis ex parte nostrae experientiae manet ens finitum reale. Simile valet pro Raimundo. Etiam si historice constet istum auctorem dignitates vel attributa divina a fide religiosa sumpsisse¹² tamen Lullus negare nequit nec vult: dignitates ut ad aspectus transcendentales rationaliter et immediate hauriri non nisi a creaturis. Propterea nobis necesse erat de quadam brevissima refutatione regressus in infinitum loqui. Gnoseologicè prior quam idea et vocabulum aeternitatis est conceptus temporis, i.e. conceptus durationis mensurabilis. Verum quidem est, quod Raimundus expressis verbis illius regressus in infinitum mentionem non facit. Sed modus est festinanter dicendi, quem saepissime in operibus lullianis invenimus, quare textus Raimundi fiunt difficiles intellectu; et difficiliores adhuc sunt, quando termini substituuntur a litteris Artis combinatoriae, sicut in altera parte huius commenti videbimus.

Neque Raimundus illicitum transitum ab ordine conceptuali ad ordinem realem facit, quando in prima ratione ascendit ad conceptionem unius (!) essentiae aeternae in esse reali, nam propositio praemissa "cum ens, aeternitas et dignitates sint" certo in sensu *toy esse* existentiae iam intelligi debent. Si autem dignitates singulatim respectu rerum mundi realium ut realitates cogitantur atque si aliae cum aliis concordant, necesse est, quod non solum in mente concordant sed in esse quoque. Tamen adnotandum heic est, quod unitas illius

essentiae aeternae ex professo non arguitur, solum affirmatur. Nihilominus silentio tegere non licet, quod rationem sextam omisimus, in qua categorice declaratur: "Si simplex nihil esset, compositio nihil foret". Aliis verbis: secundum Raimundum omne compositum simplex reale praesupponit. Videtur, quod haec assertio tamquam axioma, i.e. tamquam propositio per se nota ab eo accipitur. Quidquid sit, sufficiat dicere: Si plura aeterna essent, tum respectu mundi creati deberent stare in summa concordantia et cogitandi et vellendi et agendi, aliter aut mundus non esset - et notetur heic Raimundum supponere, quod mundus realis sit unum systema omnium entium finitorum! - aut illa aeterna omnino non essent plura.

Quaerere autem aliquis posset, utrum rationes a Raimundo adductae potius nos juvent, ut nobis quendam conceptum Dei respectu mundi realis idoneum et sufficientem mentaliter formemus quam probent vere huic conceptui per multiplices comparationes obtento authenticum esse reale correspondere. Ista quaestio sine dubio in ipso textu lulliano fundata est. Raimundus similiter ac Anselmus melius distinguere debuisset inter conceptum Essentiae divinae et existentiam talis Essentiae sic ab intellectu humano conceptae. Excusatur confusio harum duarum quaestionum eo, quod formatio conceptus Essentiae divinae sic in cognitione nostra mundi realis fundata: prioritatem Essentiae divinae sicut etiam illam refutationem regressus in infinitum ex parte mundi necnon huius dependentiam totalem ab Essentia aeterna et divina, de quibus omnibus Raimundus in locis adductis nonnisi modo leviter, immo levissime indicativo locutus est, de facto connotare. Propterea hos ad aspectus connotatos iam in explicatione primae rationis claris verbis manifestavi. Si vero factum illius connotationis implicitae conceditur, de argumentis lullianis in favorem existentiae Dei loqui licet. Quod autem rationem deciman in specie attinet, talis connotatio minus adhuc percipitur ac in rationibus prima et secunda.

II. De probatione existentiae Dei respectu aeternitatis secundum *Librum principiorum theologiae*.

Transeamus ad considerationem illarum rationum, quas Doctor Eremiticus in prima distinctione *Llibri principiorum theologiae* respectu aeternitatis adducit! Agitur de duabus rationibus inter quattuor hac in distinctione propositis.

Textus Raimundi autem sine exacta significatione litterarum adhibitaram inintelligibilis manet. - Sicut in *Libro principiorum philosophiae* ita etiam hoc in *Libro principiorum theologiae* Raimundus sedecim principia particularia, valida et specifica pro theologia, distinguit.

B est divina Essentia;

C sunt sedecim dignitates vel attributa Dei secundum figuram A *Artis maioris*: Bonitas, Magnitudo, Aeternitas, Potestas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Gloria, Perfectio etc.

D significat operationem;

H est virtus (essentialis);

I est cognitio;

K dilectio;

- L simplicitas;
 M compositio;
 N ordinatio
 Q prima intentio;
 R secunda intentio.

Litterae E,F,G,O in nostro textu adducendo non inveniuntur; sed ex Arte maiore [generali sive ex *Arte compendiosa* (magna) *inveniendi veritatem*] sumuntur, et applicantur adhuc litterae: A, S, T, V, X, Y, Z.¹³

A est ipsa figura A *Artis maioris* (significans A Deum et in sensu latiore quodlibet ens reale) cum dignitatibus divinis supra sub una eademque littera C commemoratis.

S est secundum eandem *Artem maiorem* figura veritatis et obiectorum respectu diversarum combinationum potentiarum animae humanae, scilicet memoriae recolentis vel obliviscentis, intellectus intelligentis vel ignorantis, voluntatis diligentis vel odientis. Notandum est, quod in psychologia Raimundi memoria recolens semper cum intellectu intelligenti, memoria vero obliviscens semper cum intellectu ignoranti unita apparet; quod autem voluntas diligens cum intellectu scienti vel ignoranti, item voluntas odians cum intellectu intelligenti vel ignoranti inveniri potest. Ceterum Figura S ex quattuor quadratis constat oblique immissis in uno eodemque circulo. Tres anguli cuiusvis quadrati vel, ut Raimundus dicit, quadranguli illas tres potentias animae in diversis statibus indicant, quartus angulus significat combinationem trium potentiarum. Quartum quadrangulum nihil aliud est nisi combinatio combinationum priorum trium quadratorum. In ratione tertia textus proponendi de quadrangulo nigro Raimundus loquitur, quod in suo loco explicabitur.

T est figura principiorum et significationum in *Arte maiori*. Continet quinque triangula sequentia:

Primum caeruleum "bcd" cum totalitate realitatis: b = Deus, c = mundus, d = operatio utriusque.

Secundum viride "efg" cum relationibus inter entia sensibilia et intelligibilia: e = differentia, f = concordantia, g = contrarietas.

Tertium rubeum "hik" cum relationibus in ordine causarum, spatii et temporis: h = principium, i = medium, k = finis.

Quartum croceum "lmn" cum relationibus inter substantias et accidentia: l = maioritas, m = aequalitas, n = minoritas.

Quintum nigrum "opq" cum habitudinibus intelligentiae: o: in recognitione veri, p: in dubio, q: in recognitione falsi.

Pro explicatione textus nos interest scire solum ea quae triangulis: secundo, ergo viride, tertio i.e. rubeo et quarto vel croceo continentur.

X est figura oppositorum (definitorum) seu praedestinationis. Ut opposita haec apparent: sapientia - iustia; praedestinatio - liberum arbitrium; perfectio - defectus; meritum - culpa; potestas - voluntas; gloria - poena; esse - privatio; scientia - ignorantia.

V est figura septem virtutum moralium et septem vitiorum. Virtutes colore livido vel caeruleo, vitia colore rubeo indicantur.

Y est signum pro veritate.

Z est signum pro falsitate.

His praedictis textus Raimundi subsequatur:

“Cum unum principium sit probabile per alterum vi connexionis, quam habet unum cum altero, igitur ad probandum B existere, convenientia sunt C D H L, in quibus humano intellectui B multis necessariis rationibus demonstratur; et ideo ad probandum B eligimus ... Rationes ... - De Probatione ipsius B.” -...

“*Secunda Ratio* est, quod aeternitas habet maiorem concordantiam cum maioritate in infinita magnitudine sine termino mensurationis, quam in finita magnitudine habente finitum terminum quantitatis; et magnitudo finitae ac terminatae quantitatis habet maiorem concordantiam cum aeternitate in aeterna duratione, quam in duratione, cuius quantitas finito termino mensuratur. Igitur cum hoc ita sit, necessario convenit, unum B infinitum in immensurabili magnitudine existere, cum quo aeternitas habeat maiorem concordantiam in D H L N, quam cum magnitudine habente finitam et mensurabilem quantitatem: si enim non ita esset, sequeretur, quod aeternitas esset per R et subiectum aeternitatis esset per Q; etiam infinita duratio in H L I K esset concordans cum minoritate, et subiectum finitae quantitatis in H Q M I K esset concordans cum maioritate; hoc autem est contra N et contra Q R; qua contrarietate demonstratur, ipsum B necessario existere”.

“*Tertia Ratio* est, quod, si B nihil est, sequitur, quod C non habent potestatem in D secundum infinitam magnitudinem mensurationis et operatio est per triangulum viridem, croceum et rubeum in aeternitate sine principio et fine; in qua aeternitate est impossibile, quod I K H L in uno numero seu in uno subiecto existant; et aeternitas est aequale subiectum ipsis V rubeo et livido et Z et Y; et D L est odibile quadrangulo nigro ipsius S; esse etiam et privatio aequaliter concordant in H L M N D R Q, privatio quoque et defectus habent aequalem concordantiam in omnibus membris ipsius X; hoc autem est irrationabile et evidenter inconveniens; et si B existit in esse, nullum supra dictorum inconvenientium sequitur, et sequuntur omnia convenientia, quae possunt esse in C D H I K L M N Q R: et cum conveniens et inconveniens sint inter se contraria, sed conveniens, maioritas, perfectio, esse et Y concordent, inconveniens vero, minoritas, defectus, privatio et Z convenient, ostenditur, quod B necessario existit in esse; quae demonstratio manifeste patet in supra dicta consequentia”.

“*Quarta Ratio...*” (Concluditur pars prima huius primae distinctionis istis verbis:) Multis aliis rationibus est probabile B existere, secundum quod ostenditur in figura ipsius A in *Arte magna inveniendi veritatem*, et secundum quod in *Principiis Philosophiae* ostenditur esse Prima Causa; et ideo ad probandum et demonstrandum B existere quatuor supra dictae rationes sufficiant”.¹⁴

Commentarium:

Cum scientia theologica doctrina in se cohaerens esse debeat, vi connexionis principiorum supra allatorum theologiae (scil. B,C,D,H,K,L,M,N,Q,R)

unum principium probatur per aliud. Ut B (i.e. Essentia divina) existat, C D H L concordare debent. Hoc ergo in propositione introductoria textus "Cum autem principium sit probabile..." dicitur. Sequuntur quatuor rationes ad probandum existentiam Dei, sed solum secunda et tertia respectu aeternitatis, quem considerare nostra interest, exponuntur. In propositione finali Raimundus ad figuram A *Artis compendiosae inveniendi veritatem* (ex anno 1273) et ad praefatum *Librum principiorum philosophiae* alludit.

Ratio secunda.

Prima assertio, quae comma praecedit, in mero campo intellectionis difficultatem praebere non videtur. Tamen origo conceptus aeternitatis neque hoc in textu neque in locis ex *Libro principiorum philosophiae* haustis indicatur, quamvis constet - si hic conceptus omnino significationem habet - eam non nisi ab objectis nostrae menti immediate accesibilibus quodammodo provenire. Excludatur campus obiectorum mere idealium uti in mathematicis se praebent, nam Raimundus hoc in contextu minime ad res mathematicas sed ad res reales spectat, etiamsi de magnitudine, de quantitate et de mensurabilitate loquatur. Ceterum conceptus aeternitatis in mathematicis non adest. Nihilominus nondum scimus exacte, qualem conceptum aeternitatis Raimundus heic accipit; nam in altera assertione, quae comma distinctionis in medio periodi positum sequitur, distinguit duplicem significationem aeternitatis, unam in duratione aeterna et alteram aeternitatem in duratione finitis quantitativis mensurabilem. Sine ullo dubio haec altera aeternitas est comparabilis illi platonicae, qua mundus secundum ideas simpliciter aeternas formatus sit sempiternus vi cuiusdam aeternitatis, quae facta est et fit in perpetuum. Talis aeternitas sic facta, sed a Raimundo in aliis locis reiecta, inest adhuc thesi originistarum de mundo quidem creato, qui autem realiter in perpetuum essentiam Dei aeternam concomitari dicitur.

Redeo ad quaestionem, unde Raimundus conceptum aeternitatis sumere potest. Si respondetur: "A fide", totus iste discursus est circulus viciosus; tunc existentiam Essentiae divinae probari non oportet, quia iam praesupponitur. Si respondetur: "A ratione", tunc patet Doctorem Eremiticum cogitationes per saltus ducere vel saltem varia praeambula necessaria supponere, quae de facto silentio tegit. Ceterum, sicut secundum originem conceptus aeternitatis, ita etiam secundum originem conceptus magnitudinis infinitae quaeri deberet. Haec ultima quaestio autem ad problema regressus in infinitum circa causas contingentes ducit. Scholastici, sine ulteriore criterio in neoplatonismo fundati distinguunt inter series causarum essentialium et alias causarum accidentalium. Series "infinita" causarum accidentalium communiter ut impossibilis declaratur. Disputatio vero de seriebus causarum essentialium intra mundum creatum est inutilis Quaestio. Extra systema neoplatonicum nullam rationem essendi habet. Et acceptatio neoplatonica simpliciter falsa est; quia nulla causalitas realis datur inter diversos gradus emanationum ex simplici ratione qua thesis de emanationibus fuit assertio gratis data, explicabilis propter dubiam suppositionem totius systematis neoplatonici, secundum quam ordo cogitandi aequale sit ordini essendi.

Si conceptus aeternitatis ex fide heic non accipitur, quandam lacunam in argumentatione lulliana explere nobis opus est, sicut in prima ratione distinctionis primae ex *Libro principiorum philosophiae* proposita brevissime iam exegimus.

Ens finitum necessario est ens ab alio. Ex ingenti et innumerabili numero entium finitorum nihil infiniti fieri potest, ita ut sit, sed quodlibet ens ab alio in ultimo termino aliud Ens poscit, quod non est finitum in se, ergo infinitum. Tale postulatum ens infinitum, quod ergo non debet esse ens ab alio, excludit to fieri, vult dicere, *est* simpliciter neque potest non esse, immo est exacte et plene id quod verè est et est, ut Nicolaus Cusanus diceret, nihil aliud quam non-aliud. Aliis verbis: To ens postulatum ut infinitum et aeternum se possidet in summa identitate. Aliquantulum magis insistere velim in hac conceptione et dicam: Praedicta summa identitas daretur solum in ente, quod in una eademque autoreflexione se ipsum omnino cognosceret et consequenter plenam dominationem suiipsius possideret. Talis cognitio et dominatio suiipsius omnem processum cognoscendi et volendi successivum et progressivum necessario excludere deberet, nam aliter identitas plena non esset spiritualiter realizata. Identitas autem in sensu pleno actus spiritualiter reflexivus est. Per consequens, illud Ens sic postulatum ab existentia entium finitorum nec mutationem essentialem nec accidentalem pati potest, ergo aeternum esse debet secundum praedictam aeternitatem incommensurabilem. Nunc patet, quod tale Ens aeternum concordat magis cum infinita magnitudine vel dicamus cum perfectione infinita quam cum magnitudine finita, etiamsi conceptus "perfectio" etiam difficultatem secum portet sicut conceptus lullianus durationis, aeternae respectu Essentiae divinae.

Tamen - et me refero nunc ad alteram assertionem eiusdem primae propositionis lullianae in ratione secunda - haec magnitudo finita vel hoc ens perfectione finita ideoque relativa tantum munitum concordat magis, ut existat et existere possit, cum illo Ente aeterno in illa eius summa identitate auto-cognitionis et auto-dominationis quam cum quodam mundo sempiterno quidem sed ex continuis motibus, generationibus et corruptionibus constituto, nam - sicut iam dictum est - : ex multitudine entium finitorum numquam aliquis mundus infinitus fit vel vere aeternus, qui omnia, quae continet in se, uno actu, cognoscat et sic cognoscens omnia dominative possideat.

In nostro textu *Libri principiorum theologiae* Raimundus nondum theoriam origenistarum de sempiternitate mundi creati refutavit. Intentio eius solum versus conceptionem aeternitatis authenticae, ergo divinae, versatur.

Post illam primam periodum rationis secundae Doctor Eremiticus prosequitur dicens: "Igitur, cum hoc ita sit, necessario convenit, unum B infinitum in immensurabili magnitudine existere". Si respicimus tantum ad textum antecedentem Lulli, dubitare licet, utrum haec consequentia valeat. Solum is, qui quaestionem circa originem conceptuum et aeternitatis et magnitudinis infinitae, ergo qui fundamentum ascensionis mentalis ad illos conceptus in mundo realidatum considerare studet, consequentiam secundum meam opinionem admittere possit. Ex sola compossibilitate conceptuum au-

tem existentia nondum eruitur. In textu lulliano secundum me ascensus a posteriori latet, quia a comparatione per maius et minus leviter indicatur. Quando Raimundus confirmat maiorem concordantiam haberi inter magnitudinem finitam et aeternitatem sensu stricto sumptam et supra explanatam, quam cum quadam "aeternitate" facta, rationem quidem debiliorem adducit. Dicere deberet magnitudinem finitam essentiam infinitam et infinite existentem supponere ideoque in mente nostra poscere. Tunc textus sequens acceptabilis fit, quo Raimundus affirmat Essentiam divinam (B) aeternae existentem maiorem concordantiam habere cum incommensurabili magnitudine in (operatione) D, (in virtute essentiali) H, (in simplicitate!) L, (et in ordinatione) N quam cum magnitudine finitae et mensurabilis quantitatis.

Ut hanc thesim corroborare possit, Lullus consequentiam ex thesi opposita deductam adhuc affert. Dicit: "Si enim non ita esset" hoc sibi vult: si propositio antecedens "aeternitas habet maiorem concordantiam etc." non valeret, "sequeretur (a) quod aeternitas esset per (secundam intentionem) R, et (b) subiectum aeternitatis esset per (primam intentionem) Q; etiam (c) infinita duratio in (virtute essentiali) H, (in simplicitate) L, (in cognitione) I (et in dilectione) K esset concordans cum minoritate; hoc autem est contra (ordinationem) N et contra (secundam et primam intentionem) Q, R; qua contrarietate - concludit Raimundus - demonstratur (modo indirecto, i.e. modo reductionis ad absurdum) ipsum B necessario existere".

Quid dicendum est de tali argumentatione primo ad aspectu haud facili? Raimundus quatuor consequentias impossibiles enumerat: (a) Aeternitas esset per secundam intentionem, si non haberet concordantiam maiorem cum maioritate in infinita magnitudine (et per consequens) (b) subiectum aeternitatis (i.e. mundus quatenus ut sempiternus heic cogitandus esset) esset per intentionem primam; (c) infinita duratio... esset concordans cum minoritate (scilicet cum magnitudine finita); (d) subiectum finitae quantitatis (scilicet mundus quatenus ut essentialiter finitus se ostendit) esset cum maioritate.

Ut consequentiae a et b intelligantur, doctrinam lullianam de prima et de secunda intentione reali (!) cognoscere oportet. In causalitate finali Aristoteles finem ultimum et media vel instrumenta distinguit, quae ut fines intermedii considerari possunt. Pro Raimundo finis ultimus hominis totiusque universi est Deus, omnia quae in mundo inveniuntur atque quaeruntur, sunt nonnisi fines intermedii. Intentio prima ergo ad finem ultimum respicit, secunda ad creaturas. His suppositis consequentiae a et b intellectui nostro vix satisfaciunt nisi quod rationes illas admittamus, quas in textum interpretationis introduximus. Fidem vero tales consequentiae vere offendunt.

Ratio tertia.

Raimundus hac in ratione ilico a demonstratione indirecta incipit. Si Essentia divina (B) non est, sequitur, quod dignitates (C) non habent potestatem in operatione (D) secundum infinitam magnitudinem "mensurationis". Terminus "mensurationis" non est adaequatus, sed cogitatio Lulli patet. Tunc enim sequeretur, quod dignitates vel attributa divina non darentur sed solum transcendentalia, quae omne ens pervadunt, quae autem tantum "potestatem" - et hoc termino realismus metaphysicus Lulli manifestatur - in operatione finita entium finitorum haberent. Sed operatio entium finitorum in mundo fit secundum *Artem maiorem* per tria triangula figurae T, scilicet "per triangulum viridem" (i.e. per differentiam, concordantiam et contrarietatem), deinde "per triangulum croceum" (i.e. per maiortatem, aequalitatem et minoritatem) atque "per triangulum rubeum" (vel per principium, medium et finem). Tamen, si Essentia divina non esset, mundus qua est (!), deberet esse in aeternitate durativa sine principio et fine. "In qua aeternitate (durationis quantitative mensurabilis) est impossibile, quod I (cognitio), K (dilectio), H (virtus essentialis), L (simplicitas) in uno numero seu in uno subiecto existant", nam summa, quae mundus nominatur, ex multis entibus numerice distinctis et ex multis subiectis substantialibus constat. "Et aeternitas est aequale subiectum ipsis V rubeo et livido et Z et Y". Hac in propositione Raimundus rursus ad suam *Artem maiorem* se refert, scilicet ad figuram virtutum moralium et vitiorum V. Explicavi iam: hac in figura *virtutes* litteris lividis, *vitia* autem litteris rubeis indicari. Lullus vult dicere, quod, si Essentia divina non esset, in mundo sic durative sempiterno virtutes et vitia hominum insimul semper haberentur sicut etiam Veritas (Y) et falsitas (Z) in aeternum inter homines se contradicerent, quia nec iudex supremus actionum hominum nec ultimum fundamentum veritatum radicale daretur. Ethica nonnisi relativismum in quaestionum "consuetudinum" docere posset et quaelibet assertio intellectualis non esset nisi opinio subiectiva, fundata individualiter distincte in complexa situatione mentis humanae. Porro "D (operatio) et L (simplicitas) esset odibile quadrangulo nigro ipsius (figurae) S". Figura S supra iam explicata est. In ea quatuor quadrangula distinguuntur: lividum cum memoria recolenti, intellectu intelligenti et voluntate diligenti circa quoddam obiectum datum; quadrangulum nigrum cum memoria recolenti et intellectu intelligenti, sed cum voluntate odienti; rubeum cum memoria obliviscenti, intellectu ignoranti, sed cum voluntate diligenti. Quartum quadrangulum viride explicare non urget. Ceterum in textu nostro quadrangulum nigrum scire heic solum interest. Obiectum, de quo Raimundus loquitur, est sine ullo dubio figura V, est ergo distinctio inter virtutes et vitia. Lullus dicere vult, quod cognitio distinctionis inter virtutes et vitia, maxime autem operatio virtutum atque simplicitas vel constantia simplex in via virtutum esset odibilis secundum quadrangulum nigrum, i.e. secundum statum animae, in quo memoria quidem recolit, intellectus intelligit, voluntas vero odit, si virtutes et vitia hoc in mundo per semper aequo iure et sine ulteriore discrimine iustitiam existere possent. - Deinde Doctor noster affirmat: Si Essentia divina non esset, to esse et privato aequaliter

concordarent in H (i.e. in virtute essentiali), in L (in simplicitate cordis sine deviationem a virtutibus), in M (i.e. in compositione), N (in ordinatione), I (in cognitione) necnon in K (in dilectione). Nam ubi et conservatorem et protectorem omnium praedictorum tam verae cognitionis quam rectae dilectionis, tam compositionis ordinatae quam virtutum essentialium cuiusvis entis in mundo sic aeternae atheo invenire possemus? - Denique "privatio quoque et defectus haberent aequalem concordantiam in omnibus membris ipsius X". Si lector brevem explicationem figurae X considerare velit, illico intelliget, quod secundum Raimundum, si Deus non esset, habitus sapientiae concordare deberet cum eius privatione; et simile de omnibus ceteris conceptibus in figura X allatis simile dicendum esset. "Hoc autem, concludit Doctor Eremiticus suam ampliam argumentationem per viam indirectam vel negativam, est irrationabile et evidenter inconveniens". Recordetur, quod Immanuel Kant quoad suam magnam quaestionem ultimam: "Quid sperare possum" immortalitatem animae accipere consentit, si quidem iustitia suprema datur tam pro meritis quam pro iniustitiis huius mundi ante supremum Dei tribunal.

In secunda parte huius rationis tertiae Raimundus Essentiam divinam existere via quodammodo affirmativa demonstrare intendit. Dicit: "Et si B (Essentia divina) existit in esse, nullum supra dictorum inconvenientium sequitur, et sequuntur omnia convenientia, quae possunt esse in C D H I K L M N Q R". Dixi iam de theologia, quod quatenus "scientia" esse intendit, omnes eius enuntiationes inter se convenire debent; nam quaevis scientia destruitur, si contradictiones sensu stricto sumptas occultat. Ceterum ex textu prolato patet esndum heic ut theologum proprie dictum haud loqui, ad summum ut apologetam, qui rationibus intellectum ante portam fidei religiosae ducere cupit. Basis totius discursus est criterium sic dictum internum doctrinae eius, quo harmonia generalis et harmoniae particulares (lege: "convenientiae" vel "compossibilitates") inter omnes conceptus atque inter omnes propositiones postulatur. Quoad quaestionem de existentia Dei Lullus ergo declarat: talem harmoniam haberi inter omnia, quae per C (dignitates), D (per operationem), H (per virtutem essentialem), I (per cognitionem), K (per dilectionem), N (per ordinationem), Q-R (per primam et secundam intentionem) indicantur. Tamen ulteriore explicatione deficiente manent quaedam dubia circa significationem praecisam harum litterarum, quatenus solum ad Deum postulandum vel solummodo ad ens finitum vel ad utrumque referendae sint. Dicam: si Deus existit, tunc omnes adpectus mere transcendentales in ipso Deo ad vera attributa divina elevantur in plena coincidentia vel in summa simplicitate, in aeterna operatione interne divina et in unica virtute aeternae essentiali, in perfectissima autocognitione et altissima dilectione vere communicativa, cuius prima intentio circa ipsam essentiam divinam versatur, ita autem ut talis communicatio interna ordinatissima minime constituat compositionem tamquam ex partibus; sed postulatur dilectio in plena simplicitate essentiae. Secunda autem intentio ad mundum finitum spectat. Haec assertio, si Deus existit, valere debet tam pro Deo ipso quam pro intellectu finito. Ex parte huius dicendum est: Si Deus existit, cognitio et dilectio hominis in prima intentione summum finem

inveniunt, in quo omnes tendentiae profundiores quiescere possunt, compositiones finitae earumque ordinationes in Deo suam ultimam causam et creatricem et conservatricem habent; atque omnes creaturae in secunda intentione intellectus et amoris humani bene mentaliter ordinatae iuvamina essent, ut homo ascendat spiritualiter ad Deum. Tali interpretatione quamlibet litteram in duplici significatione comprehendimus et applicavimus, ut reveletur melius illa convenientia a Raimundo affirmata cum acceptatione Dei existentiae.

Prosequitur adhuc Raimundus suam argumentationem conclusivam dicens: Illa inconvenientia in argumento indirecto ad absurdum ostensa non possunt insimul cum his convenientiis, nam conveniens et inconveniens sunt contraria. Sed Raimundus insistens in eo, quod istae convenientiae omnes concordant non solum cum conceptibus (ex mundo finito postulandis) summae maioritatis perfectionisque sed etiam cum authentico conceptu *toy esse*, si-heic lector ad vocabula lulliana "esse et Y (i.e. veritas)" respiciat-secundum illud quod solum ens authenticum est (sine ulla transitione et sine ullo fieri) et non esse nequit, atque insistens. Noster in hoc alio, quod inconvenientiae in prima parte rationis huius tertiae enumeratae concordant cum minoritate et defectu in mundo concreto manifestis (si mundus *Essentia divina* privaretur) necnon cum cogitatione falsa (*Z*) ex parte hominis haud bene deliberantis, Raimundus dico, persuasus est se ostendisse, "quod *B (Essentia divina)* necessario existit in esse; quae demonstratio, sicut dicit concludens, manifeste patet in supra dicta consequentia".

Ex una parte credo me rationes secundam et ante omnia hanc tertiam a Raimundo sub specie aeternitatis in favorem Dei existentiae adductas sic interpretatum esse, ut tales a lectore intelligi possint, ex altera parte confiteor me quosdam respectus introduxisse, qui a Lullo expressis verbis non offeruntur, sed argumentationem ipsam corroborare iuvant. Ea quae in Primo Congressu internationali Sancti Anselmi in civitate Wimpfen anno 1970 habito circa applicationem "*Viae Anselmianae*" apud Bonaventuram exposui,¹⁵ repetere heic velim declarans, quod in omnibus argumentis in favorem existentiae Dei, in medio aevo per viam conceptuum perductis, fundamentum realitatis huius mundi concreti ab auctoribus intentionaliter numquam dimissum est. Quapropter iniustum et historice incorrectum esse mihi videtur de argumento sic dicto ontologico (intellige: per meram loquelam conceptualem circa esse vel non esse) respectu argumenti anselmiani loqui. Aeque, immo maiore iure dico idipsum circa argumenta lulliana heic explanata. Utrum fundamentum reale a Raimundo certo suppositum pro eius ascensu mentali vere sufficiat, alia quaestio est. Tamen nemo ex lectoribus negare potest hunc auctorem concentrationem mentis considerabilem et potentiam ingenii magnam possedisse, qui in textibus extreme brevibus tot tantasque assertiones non solum inter se concordantes, sed etiam in earum totalitate et in relatione cum hac nostra realitate concreta haud discordantes adducere nactus est.

Ceterum de proposito hanc interpretationem aliquorum textuum Raimundi ex primo suo temporis scriptoris exegi, ut intelligatur difficultas lecturae huius auctoris, qui a generosa ironia suiipsius adductus postea se

phantasticum nominaverat, quin autem eius cogitationes speculativae phantasticae essent vel illogicae vel etiam stupidae. Vicinitas mentalis vero Sancti Anselmi patet. Sed Lullus minime tamquam eius discipulum se manifestat, qui viam magistri simpliciter repetit, nam Raimundi respectus propriae indolis sunt.

Elegi autem has rationes lullianas sub specie aeternitatis adductas, ut occasionem mihi praebeant loquendi conceptus aeternitatis origine forte magis comprehensibili, certo autem intellectum nostrum magis impellenti ad ulteriorem inquisitionem. Si enim eum solum mentaliter et abstractive ab esse cuiuslibet entis finiti proicimus, periculum adest, ne ideam vagam et indeterminatam "entis sine principio et fine", quam Lullus quoque adfert, nobis constituamus. Si vero de conceptu identitatis sensu reflexionis mentalis spiritus nostri super nosmetipsos meditamur, haud nobis latebit hanc identitatem a nobis ipsis desideratam nunquam nobis daturam esse, etiamsi idea ipsa talis identitatis a mente nostra clare detegi et assumi possit. Nam a nostra auto-reflexione sic semper partiali et restricta ens certo cogitabile nobis est, quod in aeterno nunc se plenissime cogitans est (!) ideoque seipsum tam perfecte possidet, ut livissimum fieri ab eo omnino excludatur. Absolutum apud Hegel non est nisi Deus humanizatus et consequenter saecularizatus, est respectus anthropomorphicus Essentiae divinae, est aberratio a quadam propositione per se omnino nota, quin vero sit - ut quidam auctor nostris diebus scripsit - tautologia. Hanc propositionem iam adduximus, quae sonat: To Ens authenticum simpliciter est et non et numquam potuit, potest, poterit non esse nec maius nec minus fieri potest quam est. Omne ens reale duplicem ad aspectum semper praebet, scilicet ad aspectum sic dictum quidditativum necnon illum actum essendi quo actu est. Solum autem illud Ens quod se possidet in exhaustiva auto-cognitione potest esse purus Actus essendi ideoque solum de hoc Ente asserendum est, quod est simpliciter.

Evolutio in auto-cognitione humana a minore ad maius non datur nisi in continua obviatione cum non-ego. Hoc factum mihi ostendit me esse finitum et partem totalitatis, quae ut summa cohaerens entium finitorum mundus item essentialiter finitus nominatur. Si quis, uti antiqui ferunt, animam mundi spiritualem acciperet, cui mundus omnium finitorum entium corporalium et spiritualium essentialiter adhaereret sicut corpus humanatum animae humanae, talis anima mundi propter praedictam cohaerentiam cum mundo finito ipsa finita adhuc esse deberet, quia esset pars alicuius totalitatis, ergo esset ens in fieri auto-cognitionis, quod nondum se ipsum plene cognoscit nec umquam cognoscet nec "corpus" suum, i.e. mundum cognoscit. Haec assertio valet in licita analogia ad spiritum nostrum, qui nunquam se ipsum totaliter perpenetrabit et minus adhuc corpus proprium. Cur non? In eodem momento, quo spiritus noster se ipsum et corpus proprium plene cognosceret, esset aliquid omnino absolutum respectu ceterorum entium finitorum, quod est per se impossibile, quia partes sumus integrales etiamsi substantiales huius ipsius mundi. Similiter, si esset anima mundi, neque ista autarchica et absoluta fieri posset umquam, quia radicaliter et essentialiter esset finita in hac sua essentiali

cohaesione cum totalitate realitatis, cuius pars ipsa anima mundi esset. Finitum vero infinitum se facere nequit. Reicienda est proinde omnino idea hegeliana alicuius supremi et "absoluti" spiritus in quadam evolutione auto-cognitionis. Ceterum dominabilitas super se et super alia datur eo gradu, quo possidetur auto-cognitio simul cum hetero-cognitione. Hetero-dominatio vere vix iustificari potest, quin adsit gradus auto-dominationis sufficientis. Haec autem est fructus auto-decisionis ad bene operari. Auto-decisio ad operari bene est nucleus libertatis authenticae, cum possibilitas seligendi inter plura, etiam inter bonum et malum tantum non est nisi conditio, sine qua vera libertas vel illa authentica auto-decisio ad operari bene haberi nequit. Bona operatio est illa, qua ordini meliori in mundo rerum et in specie in mundo humano tam materiali quam spirituali, tam individuali quam sociali correspondet. Ordo melior cognoscitur facilius ex situationibus defectuosis, quibus homo et humanitas sine ratione sufficienti patiuntur corporaliter vel spiritualiter. Ratio sufficiens qua quaedam sacrificia poscere licet, ex hierarchia valorum sumitur, qui omnes bonum comune et individuale quam maxime attinent. Fundamenta omnis valorisationis in quidditate naturali entium finitorum latet. Unde quidditates naturales, unde ergo haec fundamenta proveniunt nisi ab Ente illo, quod uno actu aeterno se omnino cognoscit perfectissimeque seipsum necnon entia finita extra se posita omnino dominatur et, omnibus entibus ordinem naturalem dans, iure iusto entibus libero arbitrio praeditis normam quoque agendi ad perfectionem propriam relative maximam obtinendam praescribit ut debitum solvendum.

Sic libertas humana ut vera ianua philosophiae apparet et illud antiquorum "Cognosce teipsum" compitum totius investigationis philosophicae nobis relucet, quo ad postulatum existentiae "Causae primae vel Essentiae divinae" constituendum compellimur.

Erhardus—W. Platzeck, ofm.

NOTAE

- 1) Edidit B. Jansen SJ. in: *Fr. Petrus Johannis Olivi ofm. Quaestiones in secundum librum Sententiarum*, vol. III. Quaracchi 1926 in Appendice.
- 2) Liber I d 2 qq 1-2; Ed. Vat. II, 1950, 125-221. Cf. E.W. Platzeck, *Versuch eines modernen Ansatzes zum scotischen Gotteserweis*; in: *Studia Scholastico-Scotistica*, vol. V. Deus et homo secundum mentem Joh. Duns Scoti, Romae 1972, 89-107.
- 3) *El ascenso a Dios en el pensamiento de Ramon Llull*; in: *Pensamiento* 18, 1962, 165-84.
- 4) Cf. Platzeck, *R. Lull*, vol. II Düsseldorf 1964, *Werkkatalog* nn 8-9, p. 6*.
- 5) I.e. ab *Arte inventiva veritatis*, scripta a. 1289. Sed confer iam rationem secundam Distinctionis primae in *Libro principiorum theologiae* infra propositam.
- 6) MOG I 1721,2; sec. Ed. Frankfurt 1965 propter enumerationem continuam paginationis: p. 434 col. A.
- 7) MOG I, 2; Ed. Frankfurt 1965 p. 668.
- 8) MOG I, loc.cit. 2s; i.e. Ed. Frankfurt 1965 p. 668s.
- 9) MOG I, loc.cit. p. 3; Ed. Frankfurt 1965 p. 669s.
- 10) Loc.cit. p. 4, respective p. 670.
- 11) *Obras completas de San Anselmo*; ed. Jul. Alameda OSB. I, Madrid (BAC) 1952; Prologion 358-404, Prooemium p. 358; cap. II, p. 366s. Cf. infra notam 15.
- 12) R. Lulli *De ascensu et descensu intellectus*, dist. IX; in: *Opuscula R. Lulls III*, Hildesheim 1973; cf. ibidem introductionem p. XXXVII.
- 13) MOG I, ef figuram principiorum theologiae inter paginas 606 et 607 sec. ed. Frankfurt 1965; atque figuras A.S.T.V.X.Y.Z, quarum illustrationes textum *Artis maioris*, i.e.p. 433 (sec. ed. Frankfurt 1965) praecedunt. Notandum autem heic est, quod textus originalis Raimundi diversos colores in suis figuris indicat, qui colores in editione a. 1965 omnino desunt; quapropter recurrendum est ad editionem originalem moguntinum ex anno 1721, aliter lectura textuum Raimundi manet saepesaepius inintelligibilis. Qua de causa indicatio colorum in explicatione nostra necessaria evadit, ut textus adducti Raimundi intelligantur.
- 14) MOG I, *Liber principiorum theologiae*, p. 2 vel in ed. Frankfurt 1965 pp. 608-609.
- 15) Cf. *Die Verwendung der "Via anselmiana" bei Bonaventura*; in: *Analecta Anselmiana* (Festschrift für Fr. Sales. Schmitt OSB) 3, 1973...
- 16) Ne credatur demonstrationem in favorem existentiae Dei "sub specie aeternitatis" nonnisi in scriptis Raimundi prioribus se haberi, sed postea ab eodem dimitti, pono saltem hac in nota textum Lulli ex anno 1305, scriptum triginta annos post redactionem *Librorum principiorum philosophiae et theologiae*. Textus ex *Libro de ascensu et descensu intellectus* haustus est (cf. ed. lat. Palmae 1744; ed. nova *Opuscula Raimund Lulls III*; Hildesheim (Gerstenberg) 1973, paginatio nova 318-320). - Si Lullus ab initio hoc in textu ad affatum se refertur, considerandum forte est: propositionem "Ens est aeternum"; hoc sibi vult: terminum 'ens' quid absolute 'stabile' connotare et solum in loco secundo dicere, quod "Ens aeternum - (existentialiter) est". In textu subsequenti dignitates ad invicem referuntur sicut in textibus lullianis supra a nobis allatis, tamen mihi videtur, quod textus ex *Libro de ascensu et descensu intellectus* haustus respectu gradus convictionis debilior evadit. Textus ipse sonat sic:

DE PROBATIONE QUOD DEUS SIT.

1. Desideravit subinde intellectus probare Deum esse, ut ascenderet ad habendum scientiam quod Deus est necessario; & innuit affatui quod primò sic diceret. Ens aeternum est: & si non est ens aeternum, quod primò fuit, se ipsum principiavit; sed hoc est impossibile cum unum ens se ipsum non possit principiari; quia si sic, esset antequam esset, quod est impossibile: istud ergo ens aeternum, Deum esse vocamus.

2. Ens aeternum est, ut dictum est, aut igitur istud est per suam Potestatem, aut per aliam; non per aliam; quia ante suam Potestatem aeternam, esset

alia Potestas praejacens, quod est impossibile: ergo est ens aeternum per suam Potestatem: unde sequitur quod si est ens aeternum per suam potestatem, quod sua Potestas sit infinita; quoniam per Potestatem finitam, ens aeternum esse non potest: habet ergo Potestatem infinitam sic ratione Potestatis, sicut Durationem infinitam ratione Aeternitatis. Tale autem ens habens hujusmodi Potestatem, Deum vocamus.

3. Istud ens aeternum habens Potestatem infinitam, aut habet Bonitatem finitam, aut infinitam; non finitam; eo quia habet Potestatem infinitam (ut probatum est) ergo Bonitatem infinitam. Tale autem infinite potens, infinite bonum, Deum vocamus.

4. Omne illud ens, quod habet Potestatem infinitam, & infinitam Bonitatem, habet Magnitudinem infinitam; sed ens aeternum est tale ens (ut probatum est) ergo habet Magnitudinem infinitam, & immensam. Major declaratur; quia si non haberet Magnitudinem immensam, & haberet Potestatem infinitam, & Bonitatem infinitam; sequeretur quod esset magis potens, & magis bonus, quam Magnus; & sic deficeret Potestas infinita, quae non posset esse ita Magna sicut potens, & sic de Bonitate infinita; sed hoc est impossibile: ergo in ente aeterno est Magnitudo infinita, & immensa. Tale autem ens aeternum, vocamus Deum.

5. Si est ens aeternum infinite potens, infinite bonum, & infinite Magnum, & immense, oportet quod habeat operationem intrinsecam, aeternam, & infinite potentem, infinite bonam, infinite Magnam, & immense; sed probatum est quod est tale ens: ergo habet operationem intrinsecam, aeternam infinite potentem & c. & tale ens, vocamus Deum.

6. Gavisus fuit intellectus quia cognovit Deum esse de necessitate; & voluit investigare, Vtrum esset unus Deus, aut plures. Sed recordatus, est, quod probatum fuit Deum esse infinite potentem, infinite bonum, infinite Magnum; quod fieri non posset si essent plures Dij; eò quia unus alteri impediret suam Potestatem infinitam & suam infinitam Bonitatem, & Magnitudinem: ergo unus Deus necessario; & non plures.